



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 3. Dicebant autem non in die festo ne forte tumultus fieret in populo. v.
5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Domine, cogitem obsecro sæpe de his, & pauco tempore vitæ meæ, cum discipulis tuis, tuam admirer diuinitatem, intuear bonitatem, & clementiam quâ inimicum tuum Iudam agnus lupum, ad pœnitentiam inuiraſti; tuæ etiam imiter exemplar pietatis, vt nempe super caput hostium meorum carbones ignis congregata benefaciendo etiam inſenſiſſimo inimico, ne vincar à malo, ſed vincam in bono malū ſemper. Rom. 12. 20. & 21.

§. 2. *Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & Conſilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent & occiderent. v. 3. & 4.*

Ponit ſimul Euangelista tempus quo conuenerint nempe de dolo capiendi Chriſtum & occidendi: & vt ſpecies conſilij iuſti magis prætenderetur habitum fuiſſe in domo Pontificis Caiphæ: ſuperaddens finem, ſcilicet ut occideretur Chriſtus in quo omnes conveniebant exceptis paucis quos conſcientia avocabat, vel intereſſe conſilio impiorum vel ſententiæ ipſorum ſubſcribere contra iuſtitiam. Iſta conſiderans, haud dubiè intra ſe exclamat.

O Domine non veniat in concilium horum anima mea; ſed potius da gratiam ut nunquam ſive in cauſa inimici ſive amici, prius concludam, aut feram ſententiam niſi audita iuſticia cauſæ, atque parte altera; ſed ſedito ſemper & prudenti animo expeſtem utriuſque partis reſponſum, ex quo iudicem, quod iuſtum eſt: nec dicam ſicut Iudæi reus eſt mortis non audita parte, nulla habita & viſa forma iudicæ; non auditis ſcilicet teſtibus; & viſis allegatis & probatis.

§. 3. *Dicebant autem non in die feſto ne forte tumultus fieret in populo. v. 5.*

Hic Euangelista ponit opiniones Principum & difficultatem in executione mali conſilij maxime oriebatur ex circumſtantiâ temporis, quando nimirum eum poſſent opportunè & capere & tradere morti: namque jam certo conſpiratione facta conluſum erat de morte Chriſti; dicebant igitur: in ipſo feſto non erit opportunum exequi, nè forte tumultus oriatur in populo, cum multi ſint qui ei ut Prophætæ imo Meſſiæ inhæreant, Ergo præcipitandum ut ante feſtum Paſchæ moriatur vel differendum, ut poſt ipſam occidatur. In die autem feſtivitatis nolebant *tumultus* ob frequentiam populi, & multitudinem aduentantium qui plerumque varios habent ſenſus & affectus, inter quos periculum erat ne iniuſtitia & invidia eorum patefieret populo placuit autem è contra Chriſto mori circa id tempus, ut tam truculenta ejus paſſio patefieret toti orbi, ejusque innocentia innoteſceret, & per miracula Paſſionis tempore peracta ab omnibus agnoſceretur Meſſias.

fiat, & Agni Paschalis figura eo ipso die impletur, quo erat usitata.

O Domine præsta mihi hanc gratiam, ut tuam voluntatem non ignarus ut isti, sed sciens volensque impleam, nempe voluntatem tuam sanctam, beneplacentem, non autem solum permittentem: non tendam alio, quam quo tuus sanctus Spiritus ducit, non quo mea me passio seducit.

§. 4. *Cum autem Iesus esset in domo Simonis leprosi. v. 6.*

En Christus Dominus & bonos & malos visitat, hos ad convertendum illos ad confortandum verbo & exemplo suo; etiam manducat cum bonis & malis, cum sanis & infirmis, neminem respuendo, qui omnes venerat salvos facere, ut omnes se se convertere possent, occasionem parabat.

Mi Jesu exemplo tuo neminem spernam, ut, si possibile est, omnes lucrifaciam, ad te malos convertendo, & bonos confortando & verbis & exemplo edificando.

§. 5. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum. v. 7.*

Cum Iesus esset in domo Simonis leprosi, sive peccatoris sive justii accessit ad eum melior persona quæ perfectius recreabat Christum, & in signum conversionis, amoris, recognitionis gratiæ gratis datæ, & satisfactionis offerbat unguenta pretiosa, & hæc non iam super pedes, sed super caput. Jesu effudit, ei se & omnia sua totaliter per hoc factum resignat.

O Domine da etiam gratiam mihi peccatori, qui in domo peccatoris scilicet in hoc maligno mundo dego, laqueis pleno, in quo ad peccandum occasiones sunt infinitæ ut conversus ad te semel & perfecte, uti hæc mulier, me tibi toto corde offerendo, virtutes emendatæ vitæ effundam cunctis diebus vitæ meæ super caput tuum, ut videntes meam emendationem glorificent patrem qui in Cælis est, & ego cum hac muliere in odore suavitatis curram viam mandatorum tuorum.

§. 6. *Videntes autem discipuli indignati sunt. v. 8.*

Adhuc peccatores discipuli indignati sunt, quod vel illa te tangeret, mi Jesu tam mundum tamque innocentem, ignorantes ejus sanctitatem, vel invidentes quod illa magis honoraret; vel indignati sunt quod tam abunde pretiosum illud unguentum effunderet in te, idque ex eo quod adhuc tenaces erant & avari, non intelligentes nec comprehendentes cui? tanto scilicet Regi terræ & Cælorum? & quo ex amore & affectu illa effunderet, in gratiarum scilicet actionem gratiæ datæ, conversionis, penitentis & satisfactionis.